



LIBER DECIMVS-SEPTIMVS.  
PARALIPOMENON.

De vsu hominum & dignotione  
eorum, tum cura & errore.

CAPVT I.

*Cognitio conditionis hominum ex natura iudiciis tum aliis.*

**H**omo gregale animal est solus penè nihil: ille ergo plurimum poterit, qui pluribus commodè uti norit: uti autem commodè norit, si naturam eorum, mores, qualitatem atque ingenia dignoscet: hoc autem magna ex parte in *Proxenetâ* docuimus, sed id ipsum interest inter hanc considerationem & *Proxenetam*, quod in *Proxenetâ* constituto sine, quod est bene beatèque viuere, media quæritum singula ad id consequendum, & ut commodè illis mediis utamur, docemus. At hic verò mediis oblati qualiter uti debeamus, præcepta tradimus: nam non semper parare nobis licet eos, cum quibus nostro more versetur, sed si mutare non possumus, tamen curare illorum vitia, saltem deteriora, & magna ex parte, utile fuerit. Sunt autem hominum genera à conditione simpliciter, ut Reges, magistratus, artifices, plebecula. A conditione erga nos; ut si reges nobis impent, amici, socij, clientes, hi quibus beneficio tenemur coniuncti, serui, famuli: A qualitate animi & morum, boni malive: inertes, contumaces, infidi, inquieti, melancholici, liberales, maligni: A sexu, non nisi duæ differentiæ, masculi, feminæque: Ab ætate; senes, pueri, infantes, iuvenes, adolescentes: demum sexto loco à temperatura; sanguinei, biliosi, pituitosi, arrebilarij, morbofi, robusti, sani: in his enim non tam vitia vel virtutes quàm seminalia illorum apparent. Sunt & ex his quæ huiusmodi coniuncta sunt, velut: Primogeniti quippiam habent nobilioris synceriorisque materiæ; vnde apud omnes leges tam diuinas quam humanas præferuntur, ut *Esaü* Iacobo, & Euangelium peperit filium primogenitum: non comparatione, cum virgo ante partum virgo permanferit, etiam post donec vixit: & in Principum donis primogeniti succedant soli, *Herodia* sint communia. Atque id præsertim

Tom. X.

contingit ut sint meliores & præstantiores reliquis, præsertim si utroque parente tales fuerint, ita ut nupta virgo haud aliàs à viro cognita, viro qui nondum sobolem susceperit: videtur enim syncerus humor ad generationem concurrissè. Tales etiam in regno præferuntur, quasi magis idonei, & quos diuina voluntas primos nasci iubendo prætulerit. Et certè nisi aliquo casu debilitetur priuilegium, meliores & generosiores esse solent. Vnde etiam *Hectorem* primogenitum, *Aeneam* etiam vnigenitum fecerunt *Poëtæ*, qui illos laudare conati sunt. Sic *Achilles* & *Vlysses*, tum alij generosi viri, utpote concteti ex nitidiorè sanguine, naturæque non exhausta. Propterea hæc conditio non ad regnum pertinet, cum sit causa regni, sed ad temperaturam idest fortunam quandam corporis atque animi.

Succedunt *Prænomina*, quæ etfi casu indita videntur, putat *Galleotus Martius* *Narnienis* quandam habere vim ad declarandum: *Hectorem* enim possessorem quod etiam primogenitus esset, vocatum *Tantalum* quasi *Talantarium*, idest infelicissimum: Adducit præterea innumera exempla *Aristotelis*, *Melampi*, *Epicuri*, *Hippocratis*, *Galenis*, *Græcorum*: addit ex Romanis *Camillum*, *Cæsarem*, *Scipionem*, *Pompeium*; *Altristoteles* significat optimum finem, *Melampus* Nigra planta, seu pes niger, curauit *Prætidis* nigra bile furentes: *Epicurus* adiutor, imò se ipsum liberatorem humani generis seu hominum dicat: *Hippocrates* optimus equus, ut qui homines extra pericula & morbos eueherit. *Camillus* puer ingenuus: *Scipio* cæcorum ductor, *Pompeius* à *Pompa*, imò quòd *Gneus* idest legitimus; verè enim tutatus est Romanam Rempub: ut cum ei deferretur Principatus, recusarit. *Cæsar* a cædendo dictus, qui tot millia mortalium cæcidit, ut tura mirum; nunc non, si ad *Turcarum* immanitatem referamus. Et apud *Hebræos* *Ismaël*, *Iosias*, *Isaac*, *Salomon*. Impositum quoque prænomen mandante Deo in *Christo* & *Io*: *Baptista*, *Sacra* pagina commemorat. *Tullij* nomen infantum ab ipso Rege manauit in Eloquentiæ patrem. Sic ergo nostra tempestate ut aliàs relatum est: & nomina & prænomina cum rebus ipsis conuenire videntur. *Antonius*, *Barthola-*

Z Z z 2 meus,

meus, Andreas, Nicolaus, Petrus, Iacobus, Henricus, Hieronymus: non vt significant sub Græca dictione: sed Hieronymus quidem efficit graues & dolosos, quanquam in me nil horum ob disciplinam, sed natura tales sunt: sic Vicecomites Cribelli Cardani videntur peculiarem habere naturam, mores, fortunam quoque, sed quæ ex moribus pendet. Conditiones & hæc à cælo seu Fato.

A *temperatura* rursus ac *animi moribus* multò magis ambitiosi nimis ac stolidi, vt etiam artium genus sub ea comprehendantur. Vnde copia tanta librorum, cum illud dicere Poëtæ liceat:

*Scribimus indocti*: Quid enim turpius quam transcribere, vt Fuchsius & Aleomarus, vt illud possis verè de his dicere Terentianum in Eunucho: *Ex Græcis bonis, Latinas fecit non bonas.*

Existimo nisi velint sui, & humani commodi esse iniqui iudices, suamet damnatos, cum liceat integra apud Galenum & Aëtium illa recognoscere: nullo profus deficiente *κόλα*, nisi ordo desideretur, qui cum ab vnoque que varius interponatur, nescio quid perierit, imò scio quid perierit si legantur, tempus scilicet. Meliores tamen aut longè minus mali, quàm qui empiricam tradere conati sunt. Horum causa est lucri cupiditas, sine cognitione profus alicuius illustris artis aut disciplinæ, scilicet Dialecticæ, Philosophiæ, & Mathematicarum, sine quibus omnibus omnino fieri non potest, vt quicquam rectè tradatur aut scribatur, nedum vt sine harum vlla, quas palam est illos ignorare. Tertio loco habentur qui cum norint decem noua, (vt nescio quis scitè arguebat,) libros magnos componunt, vt inane totum quod deuncem si non plus occupat, nugis & furtis ex aliis subreptis replent, & *πλῆθυσ* laborant, decipiuntque seipos, & alios errare cogunt, vt siue perlegant iacturam temporis facturi, seu non perlegant illius tantilli. In hoc igitur consulo, vt cursim legas quemadmodum ego feci librum Brasauoli de medicamentis purgantibus: duobus enim in diebus C C C I I chartas sed paruas percurrì, quatuorque tantum inueni, quæ tamen vtilissima mihi fuerunt, & certè pulchra. Cætera omnia incondita ab aliis melius scripta, inconstantia repetita ordine, Musis, & Apolline nullo, vt meritò eius prolixitatis ab aliis arguatur, aded vt nõllem nominis eius causam in lucem prodijisse: nam vir fuit apprime doctus, & multum exercitatus in arte, magnique iudicij, quem præstitisset omnia contulisse in præclara illa commentaria de *victu in Acutis*, nam reliqua sapiunt empiriam, præter Aphorismos non satis elaboratos. Ergo eiusmodi helluere & deuorare oportet, ne quid vtilis pereat: nam & illis duobus diebus aliquot ægros etiam inuisi, & scripsi tres paginas in arte medica, & duas in primo libro de Natura: multaque præterea negotia domestica ef-

fici. In eadem nauì fuit Farnelius medicus, de quo vellem posse non malè sentire. Scripsit libros xix. quasi selectæ medicinæ, in quibus vix inuenias xv. dicta non dicta ab aliis: sed aded contemptum vt in Quinto libro agat de *affectibus capitis*, oblitus sit omnium principaliorum abscissuum, siquidem biliosorum, pituitosorumque ac cæterorum cerebri, quibus nil frequentius nil perniciosius humano generi, ex eis enim singulo anno innumeri ægrotant, vix seruat vñs è centum. Si excuset comprehensos sub generali ratione omnium tumorum, cur ergo de lateris inflammatione seu laterali morbo, non multo post diffusè tractat? an existimauit peccatoris inflammationes esse periculosiores quàm cerebri? Et si etiam essent, cur illas omittit profus? Quid causæ in his vt dixi, non impetria, non rei difficultas, non nouitas tractandarum rerum, sed immensa lucri cupiditas, vt omnium obliuiscantur. Ita dum terna sequuntur, nullum perfectè præstant; volumina incompressa, & à nemine digna legi: ægri miseri occidunt, & neque cum aula fatis habent gloriæ, cui inhiant. Ea verò difficiliora vt dixi minus exercitatis. Quia tamen aliquid non habent, deuorare & hos libros oportuit. Præclara quædam paucula, sed in quibus tamen hæsitò, cum Brasauoli monita & ratione deprehenderim, & experimento confirmauerim. Dicit ergo *Physic. cap. 11. in partu* (quod sanè apud nullum alium vidi) *matre super dorsum iacente, masculos pronos nasci, feminas supinas.* Vt contra in aquis narrant conuerso modo, dum suffocant, cadauera virorum supina, foeminarum prona fluitare. Ergo quàm verum sit in posterum experiar: sic enim in eiusmodi necesse est. Nam aded temerè lapsus non credo, & rei nouitas à nemine animaduersa metum incutit: nam fieri potest, vt in vno aut altero id acciderit, nec sit regula generalis. Tam præsertim quod *in vtero fetus omnes facie ad dorsum matris conuersa iaceant, quasi sedentes.* Ille tamen quod nemo dicit subiiciat, quod *in vtero contraria etiam ratione iaceant.* Quasi velit masculum in vtero iacere facie conuersa ad dorsum, foeminam ad ventrem matris, aut contra. Nec declarat quis modus sit, de quo intelligat: nec in tanti ponderis nouitate, tanquam re aut per se notà aut leui, ne verbum quidem addere dignatus, sed confestim ad alia transit. Cumque huius rei Vesalius non memineat, nec vllus alius quod sciam, præter Iulium C. Atantium Anatomicum exercitatissimum eius verba hic apponere ex libro *De Humano fœtu, cap. 8.* decreui. Sunt autem eiusmodi: *Et illud imprimis afferamus, quod experientia nobis fuit in quamplurimis dissectis mulieribus corruptum, è quarum corpore non solum mortuos, sed viuos etiam infantes, qui postea superuixere, extraximus: in quibus penè semper adinueni fœtum capite deorsum, ad os vteri respicientia, ita tamen vt facie supinè recumbentes.*

*cumbentes, matris abdomen aspicerent, genu-  
bus autem ad vteri fundum positis: qui quidem  
ficus, ad alimentum ab vtero suscipiendum,  
omnium est aptissimus. Et inter Ceteras disse-  
ctiones hoc diligenter animadverti, (iam sextus  
agitur annus) in quadam muliere propè ades-  
meas habitante, à larvato marito, pugione in  
inferiore ventre, paulò supra umbilicum, illa-  
so vtero, vulnerata ac confossa, quæ quidem  
ob largissimam sanguinis effusionem (vsque enim  
ad venam caavam descenderat pugio) quàm bre-  
vissimo temporis spacio obiit; casu verò illac  
pertransiens, vocatus, ipsam inveni expiran-  
tem animam, eaque mortua, statim viventem  
puellam, quæ iam novum mensem compleverat,  
vterum matris dissectans, extraxi: aliasque  
multas trimeses, quadrimeses, diuersorum-  
que temporum fetus gerentes, interspeximus,  
in quibus eadem positio à me semper fuit  
observata. Non meminit hic tam diligens  
vir huius diuersitatis, quàm prætermisisse  
nefas fuisset.*

Secundum est quòd in partu ossa non  
dissoluantur, quemadmodum inquit Prin-  
ceps: hoc fuit potius Vessalij inuentum  
*lib. 1 cap. 29.* Vbi etiam rationem reddit:  
quoniam non sit absurdum in violentis  
quibusdam partibus discludi, ac statim coa-  
lescere. Nam non esse aliquid, difficile est  
affirmare, cum obstetrix tum trahat infan-  
tem, occupata negotio magis necessario:  
statim autem à natura; rei redit res ad sta-  
tum suum. Itaque vides quàm periculosa &  
parum utilis sit hæc doctrina, & qualis sit  
vltus horum librorum, & esse debeat. Sed  
aliorum qui scitè exponunt ac disputant, vt  
Leonarthus, Iachinus, & C. Vega libros  
legemus, observantes si quid minus verè  
dicant, idque non invidiosè corrigentes.  
Neque est vt illi se excusent, quod ob pau-  
citatem rerum coacti sint alienis explere  
librum, cum constet ex decem aut duode-  
cim inuentis, pulcherrimum posse confici  
librum, ac satis grandem, si modo tam an-  
xia cura magnitudinis operis eos torquet.  
Id enim in libro de liberis conscribendis abun-  
dè docuimus; quare ignorantiam suam, aut  
avaritiam potius, aut ambitionem accu-  
sent, quàm factum excusent in posterum,  
quicumque peccauerint. Neque hoc ascripsi,  
quòd à quoquam læsus fuerim, cum etiam  
è facie nullum illorum nouerim, vt neque  
Montanum, qui etiam consilia materna  
lingua, in vulgus exire passus est: tantus  
amor ineptiarum nostrarum, quorum cau-  
sa est desijisse præclara studia artium nobi-  
liorum, locòque earum subingressam Græ-  
corum vocum ineptam sedulitatem. Cùm  
adèd hæc turpis sit quàm vtilis periticia  
linguæ illius, in qua tot viri eruditi scri-  
psere: Equidem si laudem consequi vo-  
lunt, non hæc quæ ex Lexicis haberi pos-  
sunt, & habentur, sed tot libros qui  
adhuc latent, vertant: nunc si verè velint  
inspicere suos labores, & fructum, & in-  
dustriam, iam puerulorum qui regulas dis-  
cunt, ex ordine sunt; nisi quod illi in ma-  
gis consueta lingua vcrsantur. Vnde Mon-

tanus minus vituperatione dignus, Cor-  
narius etiam laude non vulgari; quod enim  
ille tentavit in Actij parte, hic in toto ex-  
pleuit.

CAPVT II.

*De causis errorum nostrorum.*

ERtorum nostrorum causæ sunt quæ-  
dam quidem in rebus ipsis, aliæ autem  
in nobis: neque enim aliud vel mente as-  
sequi ipsa licet. Res quidem nos fallunt,  
vel quia maximæ, vel quia occultæ, natu-  
ra aut minimæ vel inconstantes. Dicebat  
Philosophus: *sicut oculus noctua ad Solis lu-  
men; ita intellectus noster ad ea quæ sunt na-  
tura manifestissima.* Vnde Theologi Astro-  
logique quorum scientia est certissima at-  
que altissima, magis omnibus falluntur.  
Vt enim oculus neque maxima, neque mi-  
nima bene assequitur, nec obscura aut  
splendidissima, sed mediocria semper; ita  
& mens cæcutit in extremis, viget in me-  
diis. Minima verò cum sensui non subia-  
ceant, & ipsa nos latent, sæpius ac deci-  
piunt. Vnde in dissectionibus Marinus,  
inde Galenus, post Vessalium, quoniam  
oculatissimi, multa tamè vt dici solet, in ca-  
lamo reliquerunt. Quædam eb inconstan-  
tiam nos fallunt, velut in arte præiatricæ,  
qua circulatorum vrantur, quoniam con-  
futus technis, eum dolorem adiungunt. Itaque  
vt titio ignitus celeriter circumactus ima-  
ginem circuli ignei præbet, cum tamèn  
nullus sit talis circulus ac vix esse possit:  
ita multa nos decipiunt in constantia sua.  
Iuuantur hæc egregiè etiam à distantia  
atque aliis causis. Est & quarta causa  
erroris in rebus, cum suâ naturâ occultæ  
sunt. Contingit autem hoc tripliciter, vel  
quia remotis sint nimis à sensibus; cætris,  
velut multa animalia quæ in medio mari  
degunt; alia inter frigidis, alia æstus va-  
stas solitudines: neque enim hoc scire fa-  
cile est qualia sint, ob id circa ea decipi  
frequenter contingit. Est enim quoddam  
axioma firmissimum, *errorem maximum &  
frequentem contingere in his, atque circa ea  
quæ nesciuntur.* Secundo contingit occulta  
esse ea quæ naturâ suâ abdita sunt à sensi-  
bus, tametsi neque maxima sint neque mi-  
nima, velut sensum ipsa tum interiorum  
ratio. Ob id opiniones plurimæ de his ar-  
que innumeris. Semper enim quæ occulta  
sunt dubia; euadunt. Circa dubias autem  
res & quæstiones plurimas & opiniones  
esse consentantum est. Quòd verò sensuum  
ratio abdita sit sensibus, patet cum nullus  
seipsum percipiat. Neque enim oculus vi-  
det se videre, nec auris audit se audire,  
multò minus auris videt se audire, aut  
oculus audit se videre. Neque imaginari  
contingit hæc, cum ex sensu pendeant  
imagines, in quibus verum aut falsum con-  
stituere liceat. Nam si quisquam homines

imaginetur, qui propria vi ferrum velut herculeus lapis ad se trahant, aut qui os longum atque acuminatum vt canes habeant, liceat quicquid velit imaginari, at tamen super his nullum veri aut falsi aut scientiæ fundamentum statuere poterit, nisi hæc aliquo sensu humano innotuerint. Sed neque ex intellectu ista deprehendi possunt; quæ enim primas propositiones exquisitè notas non habent, ex quibus conclusio illa necessariò deducitur, semper dubia relinquuntur. Ob id de his opinionem non autem scientiam habere licet. Nec verò omnino falsum dixisse, qui omnem nostram scientiam esse dixit opinionem, quamuis ille Scoticus fuerit. Etsi enim non omnis scientia sit opinio, maximam tamen partem appellatæ apud nos scientiæ opinionem esse necesse est: vt Philosophiam, Medicinam, Theologiam illam quam vocant Philosophiam primam, atque alias plerasque disciplinas. Contingit autem dupliciter errare in his: vel quia ex quibus concluditur, ea non sint exquisitè nota, vel quia non ex his verè & necessariò concluditur. Tertio occultantur modò quædam, quibus velamen quoddam natura præposuit, velut sponte ea latere voluerit, vt in multorum animalium generatione. Nam si detraherit corticem non perficiuntur, si permiseris, non assequeris. Plurima autem talia sunt. Sed ex nobis tribus modis errare contingit: vel quia sensibus & intellectu præstanti præditi non sumus, vel quia eis non vtimur rectè, vel quia caligo ab aliis offunditur. Offunditur caligo ab aliis, atque hic est modus maximus erroris actionum humanarum, quoniam eos maxime præstare existimamus, quorū autoritas maxima est in vnaquaque arte, cum tamen hi sint ineptissimi. Quod autem autoritas maxima sit, ineptis atque imperitis, ob id contingit, quod scientia quietè acquiritur ac studiis, autoritas autem motu. Quæ enim mouentur ac mouent, magnasque in rebus humanis mutationes faciunt, ea hominibus sunt notissima: notissimi autem autoritate præstant. Si quidem autoritas in vnaquaque re, nihil aliud est quam spes concepta de homine in illa re, aut à pluribus aut præstantissimis. Alia causa est, quod hi cum iam præstent, quod nesciant, proprios etiam artis limites ignorant: aut si etiam nouerint, nihilominus transgredi se posse, polliceri non erubescunt. At qui sunt præstantissimi, intra limites artis se continent, atque ob id minus scire videntur. Nam concepta autoritate etiam vana promissa pro præstitis habentur. Nec desunt occasiones in arte medica, obedientia infirmi: in bellica, mors repentina alicuius, auxilium hostibus adueniens pluvia, proditio, cum tamen & sine his res peracta esset. Est & aliud, quod qui imperiti sunt, sunt & audaces & ambitiosi, & magis solliciti, & aliarum quæ ad rem non pertinent, vt potest sermonis, vestium, incessus, conuersationis, maiorem curam habent: vt qui non

vt periti rei ipsius studio distingantur. Atque ob id prudentiores esse videntur, illud verum hominibus existimantibus esse, quod qui in pluribus rebus præstant, iidem in omnibus præstare debeant, cum tamè nulla res à veritate magis sit aliena: cum vitæ humanæ tempus ad eò angustum sit, vt neque duabus rebus tantum, nedum plurimis possit satisfacere. At verò quibus sensus aut mens integra non est; aut iudicium, hos nihil mirum est errare frequentius, velut quibusdam lusciosis res tubeæ, aut maiores quàm sint appareant. Et qui fines hominum sibi propositos non intelligunt, illos vel scribendo vel agendo delirare existimant, cum tamen illi sapientissimi, hi verò rudes. Qui vero naturæ beneficio non vtuntur, hi dupliciter peccant: aut enim ignauia illis strenuè, aut diligenter non vtuntur, aut videntes à vitiis animi excutuntur ab optimo fine. Quamobrem nos pro parcemia vtimur breuissima & significantissima: Ne erres; ostensum enim est supra, & nunc aperte, errorem omnium nostrarum calamitatum causam esse.

## CAPVT III.

*Cur eorum qui videntur alij tales sunt, alij non?*

**C**vm hi qui egregij videntur plerumque nulli sint, vt paulo ante Galeni ætatem Erasistratus & Themison, illius autem Thesalus qui parum ab asinis differebant, vt & scripta illorum docent, & sententia fuit etiam Galeni, & experimentum ipsum comprobat, quòd sequens ætas illorum fucum, imperitiam & improbitatem detexit, meritiò dubitatur, cur tamen tam multi sint semperque fuerint imperiti, qui neque sunt præstantes neque habentur, vt experientia quotidie docet? si enim qui existimantur clari sua ætate, sunt imperiti, par esset multos imperitos præstantes haberi, & eorum qui præstantes essent, neminem esse peritum, quorum neutrum est: vtile siquidem hoc problema non solum ad intelligentiam tam mirabilis dubitationis est, sed etiam ad existimationem. Quædam igitur sunt artes, quarum excellentia in existimatione hominum consistit, potentium, nobiliorum, quique valere iudicio inter alios existimantur, velut pictura & statuarum: non enim is censetur optimus pictor aut statuarius aut etiam μηχανικός, id est machinarum faber, qui optimè disputare de principiis ponderum, virium, contentionis, colorum, aut representationis nouit, sed qui picturam aut statuam quæ hominem pulchrè referat, aut machinam ostendat vtilem & efficacem. Quamobrem in his nil mirum est si iidem sint præstantes & habentur, quoniam sicut contingere non potest, nisi profus empti auctoritate, & apud Principes omnino stolidos,

dos, & Respublicas stultas atque venales. Horum igitur causa Apelles & Protogenes, & Polycletus, & huiusmodi clari fuere fama & industria. Aliis autem in disciplinis, in quibus non est claritas artificis in existimatione, sed in re velut Astrologus, Medicus, Philosophus, Dux militaris, quoniam finis cuius causa artifex nobilis dicitur, aut altior est quam ut à secordibus istis nobilibus intelligi possit; vel quia ex arbitrio casuum etiam magna ex parte pender in his, seculo rudi, & in quo fucus non fiebat, rebus: iidem fuere clari atque præstantes, velut Hippocrates inter medicos, præsertim quoddam etiam finis eius artis in conspicuo fuit. Aut si adhæserint Principi Philosopho, velut Oribasius Iuliano. Secus cum ætate florida vigerunt, nec adhæserunt Philosophis principibus, vel quia non contingit etiam: rari enim admodum sunt imò rarissimi: nam è tribus qui celebres habiti sunt, inter Romanos Antoninus Philosophus, Alexander Manteæ & Iulianus, solus Iulianus fuit verè Philosophus: nam Antoninus specie tantum Philosophus fuit, id est morum ornamento, ut potè Stoicus, Alexander autem Manteæ litterarum imperitus, quod solum ei vitium obijci poterit: vel quia non cupierunt seruire & esse noti illis, aut quia defuit occasio, nullus potuit ad magnam gloriam, neque multò minus hac ætate ascendere potest. Sic latuit sua ætate Dioscorides, sic Marinus, & nostra ætate nisi Cæsar, inde Philippus Rex fuisset, Vespasianus iaceret non solum sed etiam pro stulto haberetur. Neque enim defuit, cum tam illustri virtute & Principum potentissimorum favore, qui illum editis libris pro Vespasiano Vespasianum ausus sit appellare. Etenim cum in arte quæ finem habet alium ab hominum existimatione, seculo non syncero, quis non adhæserit Principi Philosopho? iacere ut imperitum necesse est, si non oppugnet veteres clarissimi nominis viros: aut etiam pro stulto haberi, si eiusmodi viros aggrediausus fuerit: vel etiam coactus. Ratio autem est, quoniam quæ existimationem pariunt sunt quinque præcipua: Vastitudo, grauitas, blanditiæ, conatus & forma. Porro forma quod est naturæ & minimum inter hæc quinque, reliqua sibi parare oportet. Qui igitur præstat, hæc sibi non potest parare, neque vult, non potest quidem studiis assiduis impeditus: neque vult, quoniam satis sibi esse putat virtutem atque eruditionem, tum etiam quia contemnit: at qui imperitum se putat, hæc potest atque vult parare: at quatuor illa præsidia plus longè possunt, quam vnum solum, virtus & scientia scilicet; igitur eruditi existimatione multò sunt inferiores imperitis. Itaque Dioscorides & Marinus, & Euclides, & Apollonius Pergeus sua ætate iacuerunt ob has causas, & ut dici solet:

*Parua coronato plausere theatra Menandro,  
Riseruntque suum secula Meoniden.*

Quoniam sæculo fuerunt fucato, nec adhæserunt Principibus: neque ars ipsa eiusmodi erat, ut in existimatione hominum finis illius consisteret. At Archimeden Hieroni eius nominis secundo adhæsit Sicilia tyranno, & machinas fabricauit: neque ob Mathematicam clarus fuit sua ætate, quamuis maximè in ea excelluerit, sed ob machinarum scientiam, quam vulgus intelligebat, & tyranni fauorem. Qui ergo clarissimi fuerunt sua ætate, imperitissimi etiam fuerunt in huiusmodi artibus, quarum finis imperitis notus non est. Atamen non qui imperiti sunt omnes clari euadunt; vel quia ex illis quinque, vnum præcipuum scilicet solertia aut grauitas deest, aut plura, aut quia genius nullus adest. Oportet enim eum qui vult haberi clarissimus, præter illa quinque dicta habere è tribus vnum: aut eruditionem, aut genium ut multitudini placeat, aut Principem amicum à quo euehatur, lecus existimationem non poterit habere. Ea causa ergo ex innumeris imperitis, vix vnus aut alter existimationem magnam potest sibi parare: vel quia ut dixi neque genius, neque Princeps amicus adest, vel quia è quinque illis præcipuum aliquid deest. Quod si imperitiæ etiam Princeps aduerferet, facit ut is pro insano habeatur, velut contigit Meneerati Syracusio, quem Philippus Macedonum Rex irridebat. Itaque ex hac ætate nostra qui inclauerunt, atque in hoc gymnasio præcipue quam rudes erant & opere atque doctrina. At contra si qui sunt eruditione præstanti, fieri non potest ut eam existimationem sibi comparent. Qui verò mediocriter eruditi fuerunt, & illis quinque artibus instructi, ut olim Galenus, nostra ætate Curtius & Brasauolus, hos necesse fuit esse multò clariores verè eruditis, minus autem quam essent qui prorsus essent imperiti. Nam Galenus Oribasio & Dioscoride clarior fuit sua ætate, & longè minus tamen rursus prorsus imperitis, ut Erasistrato & Theffalo, quod & ipse fateatur: quandoquidem non solum ipse Theffalo Doctore, sed eius discipulis multis numeris Romæ esset inferior. Namque illi Imperatorem ipsum curabant, ille autem agebat dico Galenus pharmacopala: vices, quod etiam ex eius confessione haud obscurum esse potest.

Ergo causa cur hi qui aliquid sciunt, hi qui verè sciunt & planè sunt eruditi præstantiores habeantur, est quoniam ut dixi hi quod non eruditi plane sint huiusmodi artibus incumbant, scilicet præceptis illis quinque fallendi, tum hi: & iactant doctrinam illam quam habent, & quoniam fucati sunt & impostores, & quoniam verè se eruditores existimant quam sint: quoniam homo verè eruditus imperitiam suam nouit abundè, siquidem infinita sunt quæ non nouit, paucissima ergo illorum comparatione quæ nouit. At qui imperitus est nihil ultra id quod ipse nouit esse putat: ob id imperitus multò plura etiam vere credit se scire, quam is qui multò est eruditior.

ditior. Verùm cum homo ad eam perfectionem deuenit, ad quam Aristoteles, vt planè sui ipsius essentiam cognoscat, & immortalitatem animi: tum in aliud sapientiæ genus ingreditur, quo umbras omnium tum percipit, atque potestate tum sapientissimus euadit. Atque hæc est summa perfectio humana. Sed tamen potestate tantum non actu omnia cognoscit, atque umbras rerum non ipsas res. Qui ergo parum periti sunt, tum quia illis technis instructi sunt, tum quia summam seruant gravitatem, existimantes se maximam possidere doctrinam, ideò multo verè peritioribus existimatione præferuntur, velut sua ætate Plutarchus & Alexander Aphrodisiensis, quibus accesserunt principales etiam fauores, Plutarcho quidem Traiani, Alexandro autem Antonini Philosophi vocati. Hac ergo ratione Galenus multò melioribus se sua ætate, & nostra Curtius & Brasauolus prælati sunt. Aristoteles autem cum verè esset eruditus, tamen maximam consecutus est sua ætate existimationem ob fauorem Alexandri magni, secus iacuisset Xenocrate & Platone imperitioribus longè inferior, qua ratione etiam Theophrastus iacuit multò inferior his atque Epicuro, ac Polemone, atque Carneade huiusmodique viris, quibus longè doctrina præstantior erat. Quanquam Epicurus potius inter prorsus imperitos, quam inter mediocriter peritos sit adnumerandus. Quantò verò qui mediocriter periti sunt existimatione præcedunt verè peritos, tantò ab imperitissimis vt dixi superantur. Et nostra ætate Curtius & Brasauolus, quantum Manardo quibusdamque aliis publicis professoribus cesserunt, vt Montano, Trincauellæ Fauentino, quos palam est nihil sciuisse ex arte, imo nec procul disciplinas salutasse. Quod non iniuria dictum sit à me, produnt scripta im-

pressa sua tum publicata: quod si latere volebant, rem silentio inuoluerè debuerunt, contenti imposuisse hominibus suæ ætatis, tum ad opinionem doctrinæ, tum exercitationis in arte, nec prodere ignorantiam suam: nunc cum prodiderint, in culpa illi sunt non ego, nam etsi ego tacuero, multi alij rem detegent.

Hi ergo famam maiorem mediocriter eruditus ac multò doctioribus adepti sunt, quoniam illis, artibus magis intenti fuère, quæ fucum faciunt hominibus, diligentiusque eas excoluere. Itaque nil mirum si & Principibus & Reipublicæ tales viri imponunt. Occupata enim opinione multitudinis etiam magistratus cogunt per vim, vt melioribus eos præferant. Itaque & ægros occidendo, tanquam curauerint, laudantur: & falsam doctrinam in suggestis maxima humani generis iactura promulgant, audentque, sed hoc postmodum fati infelicitè, mandare scriptis. Quod si Socratem illum mirificum impostorem imitari scirent, qui cum suis artibus hominibus imperitis fucum fecisset, & ob id magnum sibi nomen comparasset, nihil ausus est scriptis mandare, certè illis quod Socrati, contingere posset, vt etiam præclari apud posteros haberentur. Quod si hæc tam paucis vt faciliè & statim intelligerentur, explicari possent, faciliè his laruis occurreremus, & Principes cum populis à tam pestiferis opinionibus liberaremus.

Sed cum non possimus, alia arte opus esset, hæc ipsa qua sycophantiam arguimus, ad breuiter ostendendum quod ita esset: namque quod breuiter doceri potest, id etiam faciliè potest intelligi: his autem quæ faciliè & plenè intelliguntur, solum qui sibi persuadent assentiuntur, ob id solum res adhuc in vado est. Diximus autem de hoc in Proxenesa.